

# PONTIFICALIS ROMANI

## PARS PRIMA

### PONTIFICALE ROMANUM

Clementis VIII. ac Urbani VIII. jussu editum,  
postremo a Ss.mo Domino Nostro Benedicto XIV. recognitum et castigatum  
Venetiis MDCCXXIII. Apud Haeredes Balleonios  
Typ. ac Edit.

---

## DE MINORIBUS ORDINIBUS.

**Q**uartuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus Dominicis, & Festivis duplicibus: sed in mane tantum. Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induiti, cum candela in manu dextera.

---

## DE ORDINATIONE LECTORUM.

Stiariis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium a parte Epistolæ. Interim cantatur primum Graduale, vel primum Alleluja si sit infra Octavam Pentecostes; & Pontifex sedens cum mitra, oblato sibi libro & candela, legit dictum Graduale, vel Alleluja. Quibus dictis, surgit, deposita mitra, & versus ad altare cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, & cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro & candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, & Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo: Accedant, qui Ordinandi sunt ad officium Lectorum. Et mox nominantur per Notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

**E**lecti, filii charissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite, & implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea quæ (*vel ei qui*) prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras distincte & aperte, ad intelligentiam, & ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores vestros, verbo pariter & exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini, & videamini figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini, & videmini, cœlestis vitæ formam præbeatis: Quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde Pontifex accipit, & tradit omnibus codicem de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens:

**A**ccipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & humiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

**Quibus expeditis, & illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit:**

**O**remus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in Ordinem Lectorum dignatus est assumere, bene + dictionem suam clementer effundat: quatenus distincte legant quae in Ecclesia Dei legenda sunt, & eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum: Qui cum eo vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. **R.** Amen.

**Tunc Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare, dicit:** Oremus. Et Ministri subjungunt: Flectamus genua. **R.** Levate.

**Deinde conversus ad Ordinatos genuflexos, dicit sine mitra:**

**D**omine sancte, Pater omnipotens, aeternus Deus, bene + dicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum, ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati, & agenda dicant, & dicta opere impleant: ut in utroque sanctae Ecclesiae exemplo sanctitati sua consulant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. **R.** Amen.

**Postea, suggeste Archidiacono, redeunt Ordinati ad loca sua.**